



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sit conditio, & quotuplex; quid modus, causa & demonstratio,
quæ matrimonio aliisque contractibus apponuntur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quo mora fuit his, validum sit, absolute prius matrimonium nullum fuisse; tamen invalidum hoc non est, ut novo constet. postmodum consensu indigeat, si

TITVLVS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

§. I.

Quid sit conditio, & quotuplex; quid modus, causa, & demonstratio, qua matrimonio aliisque contractibus apponuntur?

Conditio proprie dicta, prout hic accipitur, est dispositio, sive actus, vel contractus suspensio in futurum tempus, & eventum incertum (& hinc conditio de presenti, aut praeterito, non facit proprie conditionatum contractum) quae communiter explicatur, per particulam Si, ut consentio in tuas nuptias, si pater tuus consenserit. Modus est qualitas adiecta dispositioni, sive adiectioneris, ad quod obligare volumus contractentem, & communiter explicatur per particulam Ut, duco te v. g. ut honorem & divitias acquiram; causa dicitur, quando denotatur causa, propter quam contrahitur, & explicatur per dictionem Quia, contraho tecum, quia dives es, quia pulchra es, &c. Demonstratio denique fit, quando exprimitur illa qualitas, quae determinat hanc personam, duco te, quae libera es, quae virgo es, &c. conditiones aliae sunt genera-

les, quae cuilibet contractui insunt; etiam si non exprimantur, si vixerimus v. g. aliae sunt speciales, & quidem aliae intrinsecae tali contractui, necessario scilicet ad illum contractum requisitae, ut, duco te, si non sis sanguine mihi iuncta, &c. aliae extrinsecae, sine quibus contractus talis esse potest, ut duco te, si dives es; & harum iterum aliae necessario eventurae, ut duco te, si cras soloriatur; aliae contingentes & possibiles, duco te, si pater tuus consentiat; aliae impossibiles, duco te, si aureum montem in dotem dederis, aliae honestae; aliae turpes; aliae indifferentes, & inter turpes aliae contra substantiam matrimonii, contra triplex scilicet bonum matrimonii; fidei scilicet, daco te, si adulterandam te exponas; generationis, duco te, si generationem proles impediveris; & indissolubilitatis denique, duco te, si iterum discedere velis, quando te pulchriorem reperero, &c. aliae vero turpes quidem sunt, non tamen contra substantiam matrimonii, ut ducam te, si fornicata mecum fueris, &c.